

tur : « Si ergo Deus verus, quomodo tunc potest adoptivus esse, vel servus? Deum enim nequaquam audeatis confiteri servum, vel adoptivum, et si eum propheta servum nominasset, non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, quia factus est Patri obediens usque ad mortem, papa Leone dicente : Assumpta est de matre Domini natura, non culpa ; creata ex forma servi sine conditione servili : » ubi admittitur servitus ex humilitatis obedientia, quæ est propria creaturæ, et humanitatis, quæ dicitur forma servi, negatur tamen servitus per culpam ibi non culpa ; et conditio servilis ejusdem culpæ.

XXIV. Præterea prosequitur Concilium columna sequenti : « Sed et hoc volumus a vobis audire, an Adam primus humani generis pater si de terra virgine creatus est, liber esset conditus, sive servus? Si servus, quomodo tunc imago Dei? Si liber, quare et Christus quoque non ingenuus de Virgine, meliori quidem terra etiam animata, et immaculata, Spiritu sancto operante, factus est homo dicente Apostolo: Factus est primus homo de terra terrenus, secundus de cælo cælestis? Si terrenum liberum confitemur, quare non multo magis cælestem liberum confitemur? Unde Adam fuit servus factus, nisi ex peccato, Apostolo Petro attestante: Qui peccatum facit servus est peccati? Christus autem non fecit peccatum, et ideo servus non est peccati, sed magis liberator, et redemptor eorum, qui servi sunt peccati. »

XXV. Quæ verba tam clara sunt ad excludendam servitutem peccati a Christo, ut non egeant ponderatione nostra, et etiam consequenter Concilium excludit servitutem respectu hominum, et Angelorum.

XXVI. Vazquez capite quarto objicit contra hanc auctoritatem Concilii,

auctoritatem Elipandi, inquit enim, quod patres Concilii viderunt libellum Elipandi, et non potuerunt sententiam Elipandi falso intellectam impugnare, et addit, quod Elipandus non fuit tam hebes ingenii, nec tam impudens, et blasphemus in Christum ; et quis audeat Elipandum inter impudentissimos hæreticos enumerare? Et adducit verba confessionis Elipandi, quæ non sunt ad intentum. Non est novum in hoc patre ingenia hæreticorum defendere.

XXVII. Respondetur facile, quod patres Concilii viderunt libellum Elipandi, ut ipsi testantur, et illum impugnant, et cum illo loquuntur ibi : « Volumus a vobis audire, » etc. Et pontifex satis denotat impudentiam Elipandi dum inquit : « Et quod pudet dicere servum non pertimescitis, etc. » si prædet referre, impudens est relatum. In libro sacrosyllabo dicitur, quod epistola Elipandi : « Est plena blasphemii » columna secunda, et columna septima : « Si juxta vestram vesaniam, » et columna XII : « Nisi ab hac stultitia respiscant : » et in epistola Concilii columna septima : « Tam ridicula est, tam stulta hujus sententiæ expositio apud vos. » Vazquez videat si est hebes ingenii Elipandus in æstimatione Concilii. Et columna tertia, dicitur : « Ecce pravitas omni tergiversatione deterior : » et columna septima, in eadem epistola Concilii adducuntur verba Hieronymi sic : « Ubi est, inquit, serpens Arius, ubi Ænomius coluber, neque vero alium Jesum Christum, alium Verbum dicimus, ut nova hæresis calumniatur in utraque natura esse unigenitum, et primogenitum, non adoptivum, neque ex eo fratres nominari, ut Helvidius blasphemat : » ubi inter impudentissimos hæreticos computatur Elipandus, imo et ejus hæresis deterior judicatur. Et pontifex : « Tanta de-

mentia vos deludit. » In verbis a Vazquez allatis pejor est dementia, quam stultitia.

Hæc manifestant veritatem doctrinæ D. Thomæ hic articulo quarto ad tertium, constituentis differentiam inter servitutem, et filiationem adoptivam, quam Vazquez dum verbis profitetur veram, impugnationibus calumniabatur.

SECUNDA DIFFICULTAS.

XXVIII. Secunda difficultas, quæ tangitur in titulo articuli est : Si Christus est filius naturalis respectu totius Trinitatis. Ratio dubitandi est, quia relatio Filii est ad Patrem, sed in quantum homo est effectus totius Trinitatis, quia in quantum homo constituitur per unionem duarum naturarum in una Persona, et illa unio est aliquid creatum, ut habet S. Thomas supra quæstione II, articulo VII : ergo Christus in quantum homo respicit totam Trinitatem, quia omnis effectus ad extra est a tota Trinitate : ergo Christus in quantum homo est Filius naturalis Dei erit totius Trinitatis, et non solius Patris.

XXIX. Confirmatur : Si Spiritus sanctus fieret homo, vel esset filius adoptivus, vel naturalis : si adoptivus, etiam Christus, quod est contra dicta : si naturalis, quia haberet jus naturale ad gloriam, quia esset homo Deus, non esset Filius solius Patris, quia non est genitus ab illo : ergo totius Trinitatis : ergo similiter Christus.

XXX. Pater Vazquez hic disp. LXXXIX, cap. XIV, et Suarez disp. XLIX, sectione prima tenent, quod esset Filius totius Trinitatis. Fundamentum est ratio posita. Dupliciter enim, dicunt, potest aliquis esse filius naturalis. Primo modo per naturalem generationem, per quam

filius accipit naturam a patre : secundo modo per unionem substantialem cum persona filii. Hoc secundo modo Christus dicitur filius naturalis in quantum homo, et quia unio est a tota Trinitate, Christus in quantum homo dicitur Filius totius Trinitatis, non secundum speciales proprietates personarum ; sed secundum divinitatem communem tribus Personis. Adducunt Adrianum in sua epistola sæpius citata in præcedentibus super illa verba Matthæi XVII : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui* : ubi inquit pontifex, quod referuntur ad totam Trinitatem.

XXXI. Sed pontifex ad totam Trinitatem refert illud verbum complacui, quia inquit, in homine Christo tota complacuit Trinitas, sed hoc non est dicere, quod sit Filius totius Trinitatis, esse vero Patrem totam Trinitatem nullibi dicit pontifex, quidquid dicat Vazquez, non enim adducit verba, quæ hoc significant.

XXXII. Fundamentum etiam nullum est, quia licet verum sit principium, quod filiatio naturalis potest esse duplici modo dicto, aut per generationem, aut per unionem, falsum est tamen, quod causa unionis dicatur pater, et quod unitum dicatur filius. Solum enim dicitur effectus, et habebit relationem effectus ad causam, non relationem filii ad Patrem, quia non omnis causa est pater, neque effectus filius, nisi largo modo, et per unionem ad filium ponitur ratio filii : ergo si unio fiat Personæ Spiritus sancti, qui non est filius, non sequitur esse filium naturalem : ergo male, et inconsequenter arguit Vazquez, quod si Spiritus sanctus fieret homo, esset filius naturalis, quod impugnavimus tamquam temerarium ad minus in materia de Trinitate. Vide disp. XII, art. VII, num. XXXVI, et sequentibus.

Et ideo omisso hoc puncto de Spiritu sancto, solum hic de Christo probabimus, quod ex illo ad istum locum tamquam ad proprium reservavimus.

XXXIII. In primis auctoritate Concilii Toletani II, ubi ex Augustino adducitur, quod illa verba: « Hic est Filius meus dilectus, sunt de Patre æterno intelligenda. » Et addit Concilium: « Neque enim Jesus, etiam Spiritus sancti Filius, aut suus etiam Filius credi, aut intelligi potest. »

Respondet Vazquez, Concilium loqui de filiatione ratione æternæ generationis, non ratione sanctificationis, et quod Adrianus ad filiationem Christi secundum humanitatem retulit.

XXXIV. Contra, Concilium Toletanum expresse dicit Jesus, Jesus autem non est solum Persona in generatione æterna, sed incarnata; et valde ineptum erat dicere, quod Filius in generatione æterna non erat Filius sui ipsius, neque Spiritus sancti. Intelligit ergo Concilium secundum humanitatem, sicut etiam Adrianus, qui non retulit filiationem ad Trinitatem, ut dictum est.

XXXV. Confirmatur ex omnibus locis allatis articulo secundo, ante primam conclusionem, ubi Concilium excludit duos filios, non solum in sensu Nestoriano, sed affirmando, quod est una Persona, et unus Filius Dei ex Deo Patre, et ex Virgine matre. Sed in hac sententia ponitur duplex filiatio, una ad Patrem æternum in Persona, quia illam non amisit per incarnationem; alia ad totam Trinitatem ratione unionis, et hæc duplex filiatio distincta est, et distinctæ rationis; ergo constituit diversum Filium etiam diversæ rationis: ergo sunt duo Filii in Christo in una Persona; sed Concilium dicit una Persona, unus Filius in Christo. In libro sacrosyllabo, columna octa-

va, et in epistola Adriani columna quarta: « Si quis introduxerit duos Filios, unum quidem, qui ex Deo Patre, secundum vero qui ex matre, alienum eum a nostro consortio judicamus. » Loquitur respectu Dei; sed in hac sententia ponuntur duo Filii Dei, unus ex Patre, alius ex matre, quamvis in eadem Persona secundum diversas filiationes diversæ rationis, quia implicat duas filiationes respectu Dei non constituere duos Filios Dei distinctos secundum distinctionem filiationis; ergo hæc sententia est contra Concilium.

XXXVI. Confirmatur secundo: Illa filiatio ad totam Trinitatem ubi subjectatur, Suarez respondet, quod in persona, et quod est rationis; ergo sola Persona est Filius totius Trinitatis. Vazquez autem dicens, quod hæc filiatio est unio passiva, cum illa realiter subjectetur in humanitate, dicit quod filiatio est in humanitate; ergo humanitas erit filia, quod est alienum a recta philosophia, et a fortiori ponetur duplex filius realiter distinctus, unus ratione personæ, alius ratione humanitatis.

XXXVII. Ultimo confirmatur: Non potest negari in hac sententia duplex Pater divinus respectu Christi, unus prima Persona secundum rationem relativam, alius tota Trinitas, vel Deus secundum rationem absolutam; ergo duplex Filius. Patet consequentia, quia Pater, et Filius correlativa sunt, quod sapit modum loquendi hæreticorum.

XXXVIII. Secundo principaliter, quia Apostolus ad Hebræos I refert verba illa: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, et explicat de Deo Patre respectu Christi, sicut et omnia alia testimonia, quæ ibi adducit ad explicandam excellentiam Christi, in quantum Filii super Angelos. Ex quo fit argumentum destructivum fundamenti contrarii, et

rationis ejus: Illa vox: *Filius meus es tu*, dicta fuit per prophetam a tota Trinitate; ergo tota Trinitas etiam protulit alia verba: *Ego hodie genui te*: ergo si est Filius totius Trinitatis, est genitus a tota Trinitate, quia illud pronomen ego refert illud antecedens, scilicet ille qui dixit: *Filius meus es tu*. Et saltem, quia est vox prolata ad extra, sicut in Jordane, et in Thabor erit vox totius Trinitatis hic sicut ibi: ergo verificabitur, quod tota Trinitas genuit Christum, quod tamen negat Vazquez, et patet esse falsum, quia tota Trinitas non habet actionem generativam naturalem, neque ad intra, neque ad extra; ad intra est de fide; ad extra, etiam debet esse certum, quia creatio non est generatio, nec productio unius ex alio; non est generatio naturalis tamquam filii naturalis in rigore, alias omnes creaturæ essent filii Dei rigore: ergo cum solum sit actio unitiva, quæ non habet rationem generationis, unitum formaliter, prout unitum, non potest habere rationem filii.

XXXIX. Quod evidenter ostenditur ex principiis naturalibus: Nullus est filius, qui non sit genitus, quia genitus est prædicatum superius essentielle; licet enim aliquid sit genitum, et non sit filius, sicut vermis, fructus arborum, etc. tamen nullus est filius, qui non sit genitus, sicut nullus est homo, qui non sit animal, et nullus est genitus, qui non sit terminus generationis: ergo si Christus habet filiationem distinctam a filiatione Personæ, ut comparatur ad totam Trinitatem, debet esse genitus a tota Trinitate generatione distincta a generatione personæ, et sic actio unitiva debet esse generatio; vel si non, non ponit filiationem distinctam.

XL. Veritas ergo est, quod illa unio est a tota Trinitate; falsum

tamen est, quod tota Trinitas sit Pater, et quod Christus ratione incarnationis sit Filius totius Trinitatis, et habeat filiationem distinctam a filiatione personæ; sed solum habet filiationem personæ, quam habet per generationem æternam, respectu solius primæ Personæ, scilicet Patris æterni; illa tamen filiatione humanitati unitus est Filius etiam in humanitate, sed respectu solius principii generantis. Unio tamen facta a tota Trinitate constituit effectum, et sic in quantum unitum habet relationem effectus ad totam Trinitatem tamquam ad causam per quod evanescit totum fundamentum contrarium.

XLI. Et per hoc solvitur ratio dubitandi a principio posita; per eandem enim relationem, per quam Verbum ab æterno refertur ut Filius in natura divina ad Patrem æternum, refertur in natura humana ad eundem Patrem æternum, quia per incarnationem est Filius in natura humana æterni Patris, qui erat Filius antea solum in natura divina. Et per hoc est vera illa doctrina, quod quis potest esse filius per generationem, et per unionem; sed in hoc sensu per eandem filiationem unitam erit filius in natura, quæ unitur, et respectu ejusdem Patris, et sic Verbum divinum per unionem est filius in natura humana tamquam per actionem applicantem filiationem præcedentem, non tamquam per actionem facientem, vel tribuentem aliam filiationem. In quo valde decepti sunt auctores oppositæ sententiæ.

XLII. Ex quo sequitur, quod sicut Christus est filius in duplici natura, scilicet in divina, et humana, habet hæreditatem etiam in utraque natura, juxta conditionem, et proportionem utriusque naturæ, et hæreditas est beatitudo, et glo-

ria, et ad hæc consequuntur. Et ut filius in natura divina habet beatitudinem increatam, infinitam, immensam, in eadem æqualitate cum Patre; in natura vero humana habet hæreditatem beatitudinem creatam, finitam juxta proportionem naturæ humanæ; quamvis hoc in summo gradu, juxta dicta de intensione gratiæ supra quæstione septima.

XLIII. Hæc sententia est expressa D. Thomæ infra quæstione xxxiii, art. iii, in corpore, ubi sic habet: « Christus autem est Filius Dei secundum perfectam rationem filiationis: unde quamvis secundum humanam naturam sit creatus, et justificatus, non tamen debet dici Filius Dei, neque ratione creationis, neque ratione justificationis, sed solum ratione generationis æternæ, secundum quam est Filius Patris solius, et ideo nullo modo debet dici Christus Filius Spiritus sancti, neque etiam totius Trinitatis, » ubi clare contrariam sententiam exclusit.

XLIV. Respondet Vazquez, quod S. Thomas intelligitur de filiatione ratione creationis, vel justificationis per gratiam habitualement, quæ est filiatio adoptiva. Sed hæc explicatio nullius momenti est, quia S. Thomas concludit: « Nullo modo debet dici Christus Filius Spiritus sancti, neque etiam totius Trinitatis, » quæ est negativa universalis excludens omnem modum filiationis.

XLV. Præterea S. Thomas supra quæstione iii, artic. v ad secundum sic habet: « Sicut Filio incarnato, adoptivam filiationem accipimus ad similitudinem filiationis naturalis ejus; ita Patre incarnato adoptivam filiationem recipemus ab eo, tamquam a principio naturalis filiationis, et a Spiritu sancto, tamquam a nexu communi Patris,

et Filii: » ubi expresse S. Thomas asserit, quod si Pater assumeret carnem, non esset Filius, sed esset principium Filii, quod est dicere, quod sicut de facto in Christo verificatur, quod hic homo est Filius, ita tunc verificaretur, quod ille homo esset Pater; et si Spiritus sanctus fieret homo, ille homo esset amor divinus. Cujus contrarium tenet Vazquez dicendo, quod essent filii naturales totius Trinitatis per gratiam unionis, sicut Christus, et sic in vanum laborat explicare D. Thomam, ut ostendat non esse contrarium suæ sententiæ.

XLVI. Ex quo patet ad confirmationem positam in principio difficultatis, quod in casu quo Spiritus sanctus fieret homo, neque esse filius naturalis, neque adoptivus; et quamvis haberet jus naturale ratione Personæ divinæ ad hæreditatem in humanitate, non inde sequitur, quod sit Filius, quia multi non filii habent jus ad hæreditatem alterius, qui non est pater in humanis, et in divinis ipse Spiritus sanctus ex vi spirationis habet jus ad beatitudinem increatam, seu illi connaturaliter debetur increata beatitudo in natura divina; et tamen non est Filius. Et sic similiter si fieret homo, illud jus communicaretur humanitati, cui deberetur beatitudo creata sine filiatione.

XLVII. Ex his etiam sequitur inconveniens contra sententiam Vazquez, quod si Christus esset Filius naturalis totius Trinitatis, esset Filius sui ipsius, et Spiritus sancti, quod videtur falsum, est enim contra lumen naturæ, quod idem sit filius et pater.

XLVIII. Respondet Vazquez capite xiv citato, numero lxxxvi, quod non debet concedi absolute, quod Christus est Filius sui ipsius, bene tamen cum addito, quod Verbum in quantum Deus est Pater sui ip-

sus in quantum homo, sicut dicitur Deus sui ipsius. Sed hæc solutio nulla est, quia deitas refertur ad naturam, et filiatio ad suppositum, et implicat quod idem suppositum sit pater, et filius sui ipsius, etiam in diversa natura, quia diversitas naturæ non facit diversitatem suppositi, et filiatio semper est ad suppositum, et sic implicat in eodem supposito filiatio, et paternitas.

XLIX. De Spiritu sancto idem inquit, ne demus occasionem existimandi duos esse Patres in locutione absoluta; cum addito tamen concedit, quod Christus in quantum homo potest dici Filius Spiritus sancti. Sed hoc propter eandem rationem est falsum, quia humanitas non est filia, sed persona est Filius, et Filius originatur in Patre, et Pater non est natura, sed persona, et sic Persona Filii originaretur in Persona Spiritus sancti, quod est contra fidem; ideo enim Filius quantum ad originem missio-

nis, dicitur mitti a solo Patre, quamvis terminus missionis sit a tota Trinitate, et si Spiritus sanctus esset Pater, ratione missionis, vel adventus Christi, seu unionis in humanitate, initium missionis haberet originem in Persona Spiritus sancti, alias non esset Pater secundum missionem, si missio non originatur in ipso, et si originatur est per aliquam actionem sicut in Patre, quod alienum est a fide. Igitur hæc sententia plena est inconvenientibus, et omni probabilitate caret. Quando autem dicimus quod Pater, vel Spiritus sanctus si fieret homo, non esset Filius, intelligitur respectu Dei, vel totius Trinitatis: bene tamen posset esse respectu matris, quamvis posset ex non matre assumere carnem, sicut Adam, et tunc nullo modo esset filius, ut habet D. Thomas in iii, distinct. i, quæst. ii, art. iii ad primum, et ad Annibaldum ibi, art. iv ad primum.